

TION 4.

XXY 4.



1. de Arbitris: R. G. Hammer, R. J. A. Gumpelzheimer.
2. de bone merito. R. P. Müller, R. J. Kufaeq.
3. de Quarta Trebellianica. C. G. Berger.
4. de Demonstratione, ^{und} der Bestimmung. F. Müller
R. F. Philippi. R. J. Schumann.

oo
—
oe



INDEX DISPUTATIO.

	N ^o m.	N ^o m.	N ^o m.
De Arbitrijs	1.	De Nimio	20.
De Beneficentia	2.	De Nominatione auctoris	21.
De ^{quarta habet} Gubernatione ^{Uranica} Uranica	3.	De Pactis	22.
De Demonstratione	4.	De Pecunia hereditaria	23.
De Jure distrahendi	5.	De Prioritate ac posteri	24.
De Aestimatione ^{pignoris}	6.	De Possessione ^{tate temporis} instrumenti	25.
De Foro ^{ingenerere et in specie} immediato	7.	De Praeognitis	26.
De Gratia et Jure ^{protestantium}	8.	De Recognitione ^{Juris praesentia Rominae} documentorum	28.
De Jure pupillorum	9.	De Rationibus infolles	29.
De Intimatione ^{itionis Captivorum} exaetio	10.	De Sportulis	30.
De Jure Collectandi	11.	De Stylocaria	31.
De Jure Carnificum	12.	De Subsellijs templorum	32.
De Jure circa Calores	13.	De Testamentis ^{lenibus et minus solennibus} solemnibus et minus solennibus	33.
De Jure Pignorum	14.		
De Insinuatione	15.		
De Judiciis moderan	16.		
De Libris ^{rium} Mercatorum	17.		
De Liquidatione ^{sa} facti	18.		
De Meru ^{caus: jurio} imperio	19.		
^{illust. jctoz ordinis}			

4.

4 49.

CLLII
M.M.

Juvante Supremo!
DISPUTATIONEM JURIDICAM

DE

DEMONSTRATIONE,

vulgo

Sonder Bescheinigung!

Indultu Superiorum

&

SUB PRÆSIDIO

D. FRIDERICI PHILIPPI, Lips.

Patroni & Præceptoris sui honoratissimi,

placido Eruditorum examini


submittit

IOHANNES Schumann / Hal. Sax.

Autor & Respondens.

Ad D. 15. Novemb. Ao. M. DC. LXXXIII.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ,

Typis JUSTINI BRANDII.

1111

DISCIPULATONEM JURIDICAM
JUVENES SUPERIORS!

DEMONSTRATIONE
TITONIS



Institutio Superiorum

D. FRIDERICI PHILIPPI, Lipsi
Patroni & Praeceptoris sui honorandissimi

placido Friderici

IOHANNES SCHNEIDER, Lipsi

Alibi in Lipsia

M. D. C. C.

Typis JUSTINI BRANDII





I. N. J.

Præfamen.

Demonstrandi qualescunque in Jure Profectus, cum & mihi incumberet necessitas; disputationem DE DEMONSTRATIONE elaborare tandem constitui; quam quidem materiam, exercitatissimo quippe Practico relinquendam, licet forsitan non satis doctè, pro viribus tamen ero pertractaturus; Et ne ultra metas vagari videar, ipsam disputationem certis capitibus comprehendere volui, quorum (1.) demonstrationis demonstrabo definitionem, tum nominalem tum realem, cum divisione, (2.) Causas, (3.) Objectum, (4.) Formam, (5.) Finem & Effectum, (6.) Contraria & Affinia; Deus Instituta Secundet.

CAP. I.

DE NOMINE, DEFINITIONE & DIVISIONE.

§. I.

Cum verbis benè intellectis melior tota procedat disputatio, docente *Guilielmo Grotio in Ench. Jur. Nat. c. 1. n. 1.* usque; apud *JCt.* etiam receptum sit, ut rem, quam pertractandam sibi eligunt, à vocum contemplatione exordiantur, utilem hunc morem & mihi putavi observandum, sicut is præeuntem ipsum Imperatorem, in *§. 2. I. d. Tut. & pr. I. d. Testam.* & *Paulum in L. 1. ff. d. A. & A. P.* nec non monitum *Ulpiani in L. 1. pr. ff. d. R. C.*

§. 2. Demonstrationis vocabulum origine latinum est & derivatur à supinò verbi demonstro, quod ex vocabulis, de & monstrare compositum, vulgò significat weisen/zeigen.

§. 3. Sumitur vel vulgariter vel non vulgariter : Illo casu, acci-

A 2

accipitur pro qualicumque rei anre oculos positæ ostensione, *L. 1. §. 1. ff. d. Edend. L. 63. §. 1. ff. d. Contr. Emt.* aliquando etiam significat definire, beschreiben / *L. 7. §. 1. ff. d. Supell. Leg. ac indicare anzeigen / L. 7. ff. d. O. I. & d. L. 7. §. 2.* item exponere, docere erklären; Hoc casu sumitur *vel Philosophicè, vel Juridicè*: Et quidem priori modo *aliter* in sensu *Logicô*, nim. pro *Syllogismô*, ex veris, primis, immediatis, notioribus & causis conclusionis constante, *Arist. 1. Anal. post. cap. 2. Mitternacht. in Medull. Log. Scharff. Part. Spec. lib. 1. c. 1. §. 7.* quâ occasione quæritur, an talis demonstratio etiam *Jcto* competat, aut in ejus facultate sit? vid. *Hahn. ad Wesenb. ff. d. LL. n. 4. aliter* in sensu *Rheticô*, videl. pro genere causarum, quô laudamus vel vituperamus, *Ger. Jo. Voss. Part. Orat. lib. 1. c. 3. §. 2.*

§. 4. *Juridicè* v. accepta demonstratio denotat (α) *vel certificationem* rei ex appositione alicujus accidentis, quæ nominis vice fungitur, *L. 6. ff. d. R. C. L. 6. ff. d. R. V. L. 34. ff. d. Cond. & demonstr.* & quidem propter evitandam æquivocationem, argt. *L. 8. C. qui Test. fac. poss.* quô modô demonstrari possunt omnia, quæ *vel* ob nominis carentiam, *vel* ejus generalitatem, *aut* aliam causam non satis certæ sunt, qualis est demonstratio in Legatis adhiberi solita, quæ dicitur designatio rei legatæ *L. 34. ff. d. Cond. & dem. demonstrandi causa adjecta, §. 25. & §. 30. I. d. Legat. t. t. ff. & C. de Cond. & demonstr. B. Ecolt. d. t. ff. §. 3.* (β) *vel* modum probandi, ubi iterum ejus *vel* generalis, *vel* specialis acceptio recurrit; In priori demonstratio, omnem probationem *tam* ordinariam, *quam* summariam comprehendit, & significat rem, quæ dubia & obscura est, claram & perspicuam reddere, *L. 2. §. 1. ff. d. Excus. Tut. L. 23. C. d. Probat. L. 4. C. d. Fid. instr. Novell. 115. c. 3. in fin.* In posteriori verô dicitur, quod sit species probationis haud ordinaria, *Carpz. L. 3. Resp. 75. Magnif. Dn. Schwendendorff. ad Fibig. P. 1. cap. 2. §. 16. lit. Q.* Vocatur aliàs nomine *vicariô*, *Ostensio*, *Summaria demonstratio*, vulgò *eine Bescheinigung / oder Beybringung / Carpz. P. 1. C. 16. D. 16.* quæ acceptio propriè est hujus loci, *Carpz. L. 3. Resp. 75.*

§. 5. Hæc de nomine pro instituti ratione sufficiant, sistit se nunc in ordine definitio sive descriptio realis, quæ mihi talis est nata: **Demonstratio est actus, quô in processu præcipuè summario,**

52

mario, negata à parte adversâ intentio, ad fidem iudici
faciendam, pro ferendâ sententiâ, litemque abbrevian-
dam absque solennitate legali docetur. Et hoc modo defi-
nita demonstratio dispesci potest in *regularem & irregularem*, illa
locum sibi vindicat, in causis summaris, hæc v. in causis ordinariis
(2.) à formâ accidentali in eam, quæ fit testibus, & eam quæ fit docu-
mentis, & eam quæ fit documentis & testibus simul. Similiter in de-
monstrationem ante L. C. & post litis contestationem exhibitam: (3.)
ab effectu in plenam & minus plenam, *argt. eorum quæ habet Eckolt.*
ff. d. probat. §. 2.

§. 6. Generis loco posuimus actum, intellige judicialem,
argt. L. 18. C. d. probat. L. 3. C. d. Condit. ob turpem causam, verbô
actus generaliter sumto, pro omni factô communi *l. 19. ff. d. V. S.* quô
negotia fiunt, *Gædd. add. l. 19. n. 9.* puta genus remotum pro proxi-
mô, quod non est infrequens in jure nostro, uti constat ex *pr. I. d. Usu.*
fr. pr. I. d. Servit. Præd. urb. & rust. vid. Ludvell. Ex. 5. th. 8. D. reli-
qua verba differentiam à probatione specificam, satis, ut opinor, de-
monstrant.

CAP. II. DE CAUSA EFFICIENTE.

§. 1. Hæc de demonstrationis generalibus, tam quoad definitio-
nem atque divisionem. Progredior methodi ergò, ad causam
efficientem, quæ esse potest *tam remota quam propinqua.*

§. 2. Remota involvit Juris dispositionem, per jus autem in-
tellige, tam scriptum, quam non scriptum; Et prius quidem quod at-
tinet, de Jure Civili & Canonico non multi de Demonstratione textus
occurrunt, tentari tamen forte poterit, an possimus argumentô Legis
loqui, ducente *t. t. ff. & C. d. Probat. L. 4. C. d. Edend. L. 30. ff. d.*
Testam. milit. quod itidem de Jure Saxonico tenendum. De jure
verò statutariô demonstrationis fundamentum clariùs apparet, quia
jus & modum demonstrandi expressè præscriptum legimus in *der neuen*
Leipziger Handels-Gerichts-Ordnung / Tit. 16. von der Bescheinig-
ung / & Tit. 17. von der Gegenbescheinigung. Idem statuendum de
Jure consuetudinariô & non scripto, forum quippe demonstrationis
modum quotidianum reddit, & observantia de eadem Practicis non
est incognita, *vid. Carpz. Resp. 75, & P. 1. C. 16. d. 16.*

A3

§. 3. Causa

§. 3. *Causa efficiens propinqua est Judex, Actor & Reus,* quibus affirmantibus hæc incumbit, *argt. L. 2. §. 21. 22. ff. d. Probat.* Nam *Judex* vel ex officio demonstrationem suscipit, in causis nimirum inquisitoriis, atque criminalibus, *Brunnem. in Process. inquisit. cap. 8. vel Sententiâ suâ interlocutoriâ,* tanquam causâ demonstrationis sine quâ non, eandem partibus imponit, *argt. L. 2. ff. d. t. §. c. 5. X. eod. Carpz. P. 1. Const. 16. D. 16. n. 1.* Atque tunc demonstrat vel *Actor* *L. 21. ff. §. L. 8. C. d. t. vel Reus* *L. 5. L. 11. ff. eod.* Et actor quidem, quando demonstrationem suscepit, nihil autem eadem præstitit, reus absolvitur, *L. 4. C. d. Edendo c. f. §. 1. d. Jurejur. in 6.* Nec *REUS* regulariter opus habet aliquid demonstrare. Et quamvis de factò eam in se susceperit & succubuerit, nequaquam tamen condemnandus erit, cum probatio incumbat affirmanti, s. ei, qui aliquid dicit, *L. 2. L. 5. L. 9. L. 18. L. 19. ff. d. Probat. Schneidev. ad §. I. d. Act. n. 66.* Negantis enim, per rerum naturam, nulla est demonstratio, *argt. L. 23. C. d. t. c. 5. x. de renunc.*

§. 4. Hæc tamen sententia, adeò perpetua non est, quin exceptioni subjaceat, quippe limitationem patitur, quando reus excipit, tunc enim partibus actoris fungens, exceptiones suas probare tenetur, cum ibidem aliquid affirmet, *argt. L. 18. §. 1. L. 19. L. 25. ff. d. prob. Mascard. d. Probat. Vol. 2. Concl. 132. n. 1.* Exceptâ tamen non numeratâ pecuniæ exceptione, quæ ut privilegiata, ab Actore demonstranda venit, *L. 14. §. 1. C. de N. N. P. B. Philipp. L. 3. Eccl. 67.* Privilegium autem Reo acquiritur, tum quando ejusdem oppositio intra biennium facta est, *d. L. 14. §. 1.* post biennii lapsum enim Reum ipsum demonstratione gravandum esse, docet *B. Philipp. d. loc. Eccl. 67.* Plures casus, in quibus demonstratio reo incumbit, ex argumento eorum, quæ habet *B. Eccolt. ff. de probat. videre licet.*

§. 5. Sed quid; si interque dicere & negare gestiat? sicuti in duplicibus Judiciis, *§. 7. I. d. Interd. contingit:* Resp. Is probat, qui litem primus in Judicium deduxit, *Ludv. Ex. 17. th. 7. F.* quod si verò simul ad judicium provocant, lis per interdictum retinendæ possessionis dirimitur, & pro possessore declaratus, demonstratione deinde tanquam reus relevatur. *l. 10. ff. l. 15. C. d. Prob. Strauch. Ex. 25. aph. 9. in fin.*

CAP.

CAP. III.
DE OBJECTIO.

§. 1. Dicitur de causa efficiente, nunc in objectum demonstrationis nostræ inquirendum est. Et certum, demonstrari ea debere, quæ facti sunt: *l. 9. C. d. prob.* & in quibus se actor & reus intentione aut exceptione suâ fundant. *l. 12. § 19. ff. d. t.* Jus enim, utpote iudici jamdum notum *l. 2. ff. d. Jur. & fact. ign.* non à partibus demonstrandum, sed à Judice supplendum venit *l. un. C. ut qu. des. Adv. Perez in Cod. qu. sit long. Consuetudo.*

§. 2. Præcipuè v. objectum demonstrationis constituunt causæ, quæ dicuntur summariæ, quæ tales sunt *vel ex se & suâ naturâ, vel ex accidenti.* Ex se & suâ naturâ sunt causæ summariæ, ex Lege sive consuetudine, uti sunt causæ Rusticorum, Ecclesiasticæ &c *Carpz. L. 6. R. f. n. 10. Seqq.* Ex accidenti verò tales sunt, quæ *vel ex Principis rescripto, vel ex partium conventionione summarie tractantur.* *¶ Ctus famigeratis. Dn. D. Born. in disp. ad univers. jus jud. disp. 1. Th. 32. lit. B. inf.*

§. 3. Quænam v. causæ sint summariæ, non omnibus liquet, quædam n. à Glossâ suppeditantur ad *L. 3. §. 9. vers. summam ff. ad exhib.* quædam à Legum Interpretibus exhibentur, *vid. Zang. d. Except. P. 1. c. 1. n. 6.* Verum nulla de iisdem certa regula tradi potest, communiter tamen pro summaris venditantur (1.) Si Judicis incompetenti prætendatur, (2.) quando Appellationis formalia impugnantur, (3.) quando agitur ad editionem & productionem actorum, & ad pœnam compulsorialibus insertam. (4.) Causæ attentatorum & inhibitionum, (5.) Causæ fractæ pactis (6.) Causæ spoliis s. interdicti recuperandæ possessionis, (7.) Momentanei possessorii (8.) Si res propter quam lis exorta est, peritura sit. (9.) Si causa talis sit, propter cujus tardiolem expeditionem irreparabile damnum possit existere, junge Causa opificum. (10.) Causæ petiti examinis ad perpetuam rei memoriam. (11.) Quando excipitur contra rotulationem dictorum testimonum ante publicationem. (12.) Cum agitur de impedimento ad secundam vel tertiam dilationem obtinendam probando. (13.) Causæ taxationis & moderationis expensarum & damnorum. (14.) Causæ alimentorum præsentium & futurorum, non vero præteritorum, (15.) Causæ liquidationum, & satisfactionum, sententiarum. (16.) Causæ manda-

mandatorum penaliū, (17.) Causæ L. Diffamari C. d. ingen. & manum. (18.) Causæ relaxationis juramenti ad effectum agendi. (19.) Causæ nullitatum contra processus & sententias. (20.) Si petatur sequestratio in causis, quæ in camerâ non pendent, vel ad eam ex defectu jurisdictionis non pertinent. (21.) Causæ in quibus flagitatur decreti interpositio (22.) Insinuationes donationum & dotium. (23.) Tutorum & curatorum petitio & administratio. (24.) Exemplationes privilegiorum. (25.) Missio in bonorum possessionem ex primo decreto. (26.) Missio in b. p. ex Edicto D. Hadriani. (27.) Si mulier ventris nomine in possessionem mittatur. (28.) Novi operis nunciatio. (29.) Cautio damni infecti. (30.) Omnes appellationes causarum, quæ per se sunt summaria. (31.) Causæ ecclesiasticæ, ubi agitur de electione, præbendâ, Canonatu vel alio beneficio Ecclesiastico & Templi subselliis. (32.) Causæ usurarum & usurariæ pravitatis. (33.) Matrimoniales, (34.) Causæ in Curiâ mercatorum agitæ, & mercaturam concernentia. (35.) Causa inquisitionis. (36.) Causæ decimarum, pensionum, annuorum-redituum (37.) Causæ contributionum sive collectarum aliarumque functionum publicarum. *vid. Mart. infr. cit. loco.* (38.) Actio ad exhibendum præparatoria. (39.) Causa satisfactionis, quam legatarius ab herede legatorum nomine exigit. (40.) Causæ interventionis tertii pro interesse ad impediendam executionem. (41.) Causæ pupillorum, Viduarum & miserabiliū personarum. (42.) Causæ de salariis & mercede Mercenariorum, it. rusticorum (43.) Causæ breves & modicæ s. exiguæ summæ. (44.) Causæ restitutionum in integrum. (45.) Causa expulsiōnis Emphyteutæ ob canonem non solutum. (46.) Causæ naufragii. (47.) Causæ confirmationum. (48.) Excussio debitoris Principalis in fidejussoribus. (49.) Actio depositi, maximè, si de eo ex instrumento fide digno constet. (50.) Cum disceptatur, an actio ex testamento causæ præjudiciali præferenda sit? & denique (51.) in summâ, quoties Judex jubetur summam procedere, toties causa fit Summaria. *Vid. Martin. in Comment. ad Ord. Proc. Sax. in Rubr. n. 13. sequ.* quibus allubescit ad-jicere causam ordinariam, cujus membra omnia documentis demonstrari possunt, *sanciente Sereniss. Elect. Sax. in Resolut. grav. Prov. d. A. 1661. Tit. Von Justitien Sachen §. 8. ibi. Hätte aber ein Kläger.*

§. 4. Sed, ob id causæ ordinariæ, ab objecto demonstrationis non in totum excluduntur, sed quandoque ex justâ ratione ad evitandas ambages

ambages litesque contrahendas in processu etiam ordinario demonstratio adjudicatur, quod præcipuè locum habebit in causâ aliquâ incidenti, prout aliquando in hereditatis petitione contigit, ubi actori consanguinitatem suam demonstrare, per sententiam injunctum hisce formalibus: P. P. Bürde Kläger beybringen/ daß Er des Verstorbenen Bruder / so wäre Beklagter sich auff die erhobene Klage einzulassen schuldig. B. X. B.

§. 5. Quæritur hâc occasione, num etiam causa, in se ordinaria, possit partibus ita convenientibus summariter ventilari? quod affirmandum duxi, cum partibus super lite & actione planè transigere sit concessum. L. 6. §. 6. C. d. Temp. & reparat. Appell. quare non dubitandum, quin modum procedendi summarium, præ ordinario eligere queant, Carpz. in Proc. Tit. 1. art. 1. n. 57. Cui enim plus licet, non debet, quod minus est, non licere. L. 21. ff. d. R. J. aut transigere de causâ, sanè præstantius est, quam pro litis coarctatione causam ordinariam summariter tractare. Ita è contrariò, volentibus partibus causam summariam in ordinariam conjicere non est invidendum, Decis. El. 12. ibique Philipp. Obs. 2. quia unusquisque favori pro se introductio renunciare potest, L. 51. C. d. Episc. & Cler. Carpz. d. l. n. 37. & P. 1. C. 2. def. 18. n. 2.

§. 6. Ex hâc fluit alia quæstio: An nimirum actor, cui summaria tractatio plerumque expedit, Carpz. d. Def. 17. n. 3. pro lubitu absque consensu rei, ex causâ ordinariâ processum summarium instituere possit? Quod rectè negatur: Est enim hâc jus reo quæsitum, quod invito ipsi, auferri nequit, §. 2. l. d. his qui sunt sui vel al. jur. L. fin. ff. d. Pact. L. 53. ff. d. Judic. Carpz. d. C. 2. Def. 18. n. 4. Exceptio est in foro nostro, quando omnia membra ordinariæ causæ, documentis doceri possunt, uti supra §. 3. in fin. ostensum. Cui adhæret alia quæstio: an actori è contra, reluctantæ adversario, causam per se summariam ordinariâ viâ expedire integrum sit? Et quamvis certum, quod processus summarius & executivus degeneret in ordinarium viâ ordinariâ ab actore electâ, Decis. El. 12. ibi Philipp. obs. 2. id tamen non aliter quam cum hâc limitatione admittere velim, si reus non contradicat, & ita in mutationem consentiat. Carpz. P. 1. C. 2. def. 16. & L. 1. R. 19. n. 12. 13. Brunnem. in Process. civ. C. 1. n. 17. Nam quod causæ sint summariæ, non tantum in actoris, sed rei etiam favorem est introductum, ut eo citius litis molestiam evadat, Clem. sæpè d. V. S. quare
B actor

actori processum pro lubitu formanti, reus opponere valebit exceptionem non rite formati processus, h. m. *Bekl. hat ersehen / wie Kläger eine Summarische Klage wieder ihn erhoben / und darinnen sein Hauß vindiciren wollen / weil aber dieselbe nicht summariter zu tractiren / sondern in processu ordinario ausgeführet werden muß / als achtet sich Beklagter auf die erhobene Klage einzulassen nicht schuldig.*

§. 7. Quod de partibus modò diximus, æquè ad Judicem accommodandum censemus, cui nihilo magis ordinarium processum in summarium & viceversa conijcere licebit. *Mæv. P. 3. Dec. 16. n. 6. Litigantes enim ex Lege vel consuetudine processum habent quæsitum, cujus forma ipsis invitis pro judicis arbitriò mutari nequit. Mæv. P. 1. Dec. 188. n. 4. ob id tamen, non impeditur Judex in processu etiam ordinario, litigantibus demonstrationem adjudicare, Carpx. P. 1. C. 16. def. 16. & L. 3. Resp. 75. n. 1. modo hæc duo observet, ut (1.) adsit, justa causa, puta favorabilis aliave Carpx. P. 1. C. 16. d. 16. quâ loco ordinariæ probationis demonstrationem partibus imponere fuit commotus. (2.) limites arbitri non excedat, uni forsitan parti ob id gratificando, alteri v. præjudicando Alciat. de Pres. lib. 3. pres. 9. n. 1. Menoch. de presunt. lib. 2. pres. 9. n. 1. nam si justa causa adest, lites abbreviare judici permittitur, imo interdum hoc ex officio perficere ipse jubetur. Carpx. d. Resp. 75. n. 2. cum ad officium laudabilis judicis pertineat, quantum fieri potest, studere brevitati, & ut lites abbrevientur, causæque in judicium deductæ citissimâ viâ expediantur, efficere. L. 13. C. d. Jud. Mæv. d. Dec. 188. Cui Sententiæ minime contrariantur superius dicta; Nam per demonstrationem loco ordinariæ probationis impositam, processus non statim degenerat in summarium, cum reliqua processus ordinarii requisita, salva maneat. Huic accedit, quod non pro lubitu Judex ita procedat, sed ratione demum & necessitate id exigente, ut antea dictum, alias enim demonstratio præcipuè in causis summaris locum sortitur, teste Carpxov. L. 3. Resp. 75.*

CAP. IV.

DE FORMA.

§. 1. Relicto demonstrationis objectò, methodus nostræ formæ expositionem nunc desiderat, quæ respicit *tempus, media & modum monstrandi.* Tempus quod attinet, considerari illud potest vel
ut

ut terminus à quò, vel ut terminus ad quem, vid. *Lauterbaeh, in Comp. jur. tit. ff. d. Prob. §. circa probationem. ib. tempus &c. p. m. 330.*
 Terminus à quò procedit tam ante, quam post litem contesta-
 tam. Nec obst. quod probatio ante L. C. fieri nequeat, c. 5. X. ut lit.
 non contest. *Wesemb. d. probat. n. 9.* hoc enim verum est, de processu
 ordinario & probatione solenni, *B. Eckolt. ad tit. ff. d. probat. §. 5. in*
pr. minime v. in sumario, ubi de demonstratione potissimum sumus
soliciti, uti post Wesemb. alleg. loc. & Rosb. in proc. Jur. civ. t. §. 3. n. 18.
docet pral. Eckolt. d. l. n. 4. Hinc saepenumero contingit ut Exceptiones
 dilatoriz & declinatoriz ante L. C. demonstrantur, causæ meritis post
 L. C. rejectis argt. *L. 13. C. d. Procurat. Lauterb. d. l. vers. quoad Except.*

§. 2. Terminum ad quem quod concernit, nō spatio legiti-
 mō, uti probatio secundum forum nostrum 6. septim. atque 3. diebus
Const. Elect. 13. P. 1. Ord. Proc. tit. 20. in pr. includitur, aut certo fatali
 alligatur, sed modo longiori, modo breviori tempore demonstratio
 perficitur. Unde evenit, ut quovis spatio etiam post terminum pro-
 batorium elapsum, demonstraturus audiatur, *Carpz. P. 1. C. 16. def.*
16. L. 3. Resp. 75. Richter. Decis. 110. n. 12. p. 46. prædicta enim Con-
 stitutio & Ordinatio Electoralis, de Processu saltem solenni loquuntur,
 quæ cum sint jura statutaria, de demonstratione expressè non dispo-
 nentia, meritò ea tanquam jura strictissimæ interpretationis, ad casus
 non expressos extendere dubitamus argt. *L. 15. ff. d. LL. Cardinal.*
Tuschus tom. 7. pract. concl. lit. S. concl. 578. n. 22. Schrader. de Feud.
P. 10. Sect. 20. n. 169. Philipp. ad decis. El. 2. obs. 20. n. 4. uti in causa
 Caspari Berners und Conf. contra Joach. Schlauderbachen / Mens.
 Febr. 1618. Scab. Lips. pronunciarunt: *Ob wohl wieder die eingegebene*
Bescheinigung vorgemendet wird / daß sie erst post lapsum termini
probatorii den Gerichten überreicht worden / dieweil aber dennoch
Klägern in unserm Urthel keine ordentliche Beweisung / sondern alleit
gebührende Bescheinigung des jenigen / was ihme zu Ergründung der
allegirten competenz pro fundandâ jurisdictione von nöthen / auffers
leget worden /c. als erscheinet daraus so viel / daß Kläger sich daran
noch nicht versäümet /c.

§. 3. Ne tamen hæc incertitudo termini, morosis litigatoribus
 causam protrahendi litigia præbeat, aut iisdem hujus beneficii abusus
 concedatur, hinc quando de litigantium malitiâ vel supinâ negligentia,
 cui tamen non indulgendum, *L. 5. pr. ff. d. pæn. certò constat, prævia*
 adversarii



adversarii contumaciæ accusatione, demonstrationem certo tempore absolvere, ipsis injungitur, & si in contumacia perseverant, demonstrationem tum demum sua privantur, *Ant. Fab. in Cod. lib. 1. Tit. 12. def. 11. n. 2. Carpz. d. def. 16. n. 6.* Quamobrem ii, contra quos demonstratur, sapissimè sibi prospicere solent, ut judicem demonstrantibus certum terminum præfigere implorent, unde præter priorem casum nostra sententia ad huc limitatur. (1.) Si demonstrationi, in sententia interlocutoria, certus terminus est præfixus, P. P. Und ist Kläger den Grund der Klage binnen Sächs. Frist bezubringen schuldig / tunc enim post lapsum termini demonstraturus demonstratione sua cadit, *Carpz. in process. tit. 3. art. 2. n. 107.* quod quoque (2.) procedit, quando statutum loci demonstrationi certum terminum posuit, uti in der neuen Leipz. H. G. D. de dato den 21. Febr. 1682. provisum, & pro termino trium septimanarum spatium denominatum est, *Tit. 16.* von der Bescheinigung / cujus verba adscribere placuit, ita habentia: Ein ieglich Part / welchem Bescheinigung auferleget / soll innerhalb 3. Wochen von Zeit an / da das Urthel in seine Krafft ergangen / die Bescheinigungs- Articul samt der Zeugen Nahmen / oder denen Urkunden / damit er bescheinigen will / eingeben.

§. 4. Quamvis a. demonstrantibus prima & secunda dilatio non sit deneganda, *argt. Ordin. proc. Sax. tit. 20. §.* Wir lassen auch 2c. *ibiq. Philipp. Conf. 4.* id tamen ad præallegatam Ordinationem des Leipziger Handels- Ger. minimè est extendendum, quippe quæ pro litibus abbreviandis, à Sereniss. Heroë Sax. indulta, omnes dilationes, utpote per se odiosas, in tantum respuit, ut nec officium judicis easdem, nisi causa cognita, concedere valeat. *argt. der S. H. G. D. tit. 22. ib.* Gedesmah! bey Verlust des Sages eingebracht / auch darüber fest gehalten / und weder von dem Richter ohne vorhergehendes Rechtliches Erkantniß / noch von denen Partheyen oder Advocaten einige dilation verstattet werden. Prout etiam. Dni. Scabini Lips. in Causa D. J. E. Actoris & dilationem impetrantis a. e. A. M. G. Rei & contra dilationem excipientis a. a. t. mens. Maj. 1683. pronunciarunt, P. P. Daß Kläger an der ihm nachgelassenen Bescheinigung sich versäumet. B. R. W.

§. 5. Postquam a. terminus à statutò aut Judicis Sententia positus est, non exigitur à demonstrantibus, ut integratim, hoc spatio, demonstrationem absolvant, sed sufficit, si à tempore rei judicatæ, ultimo die

a tqu

60.

atque momento demonstrationem suam exhibeant, nemo enim contumaciae prius accusari potest, quam omnibus termini momentis praeterlapsis, L. 42. ff. d. V. O. L. 70. ff. d. Solut. B. Philipp. ad Ord. proc. Sax. Tit. 20. Conf. 1. n. 4.

§. 6. Sed quaeritur, quo tempore currat terminus, si ille in sententia aut statuto loci praefigatur, pronunciatum vero mediante appellatione vel Leuteratione, suspendatur. Ubi probe attendendum; an deferatur huic suspensioni, an vero illa rejiciatur, & denique, an ab appellante vel Leuterante eidem renunciatur? Priori casu spatium non currit a tempore publicatarum remissorialium, sed ab eo tempore, quo sententia in appellationis instantia lata, transit in rem judicatam, Nicol. in Procef. P. 1. C. 41. n. 7. quia terminus a tempore rei judicatae labi incipit. Leipz. N. G. D. Tit. 16. 16. Soll innerhab 3. Wochen von Zeit an / da das Urthel in seine Krafft ergangen ic. & argt. Ord. Proc. Sax. Tit. 20. in pr. cui regulae tamdiu inhaerendum, donec probetur contrarium, c. 2. d. Restit. Spoliat. in 6. L. 5. ff. d. Probat. l. f. C. d. her. instit. accedit, quod inhibito, a superiori infer. Judici facta, per novam sententiam sit sublata, argt. c. 19. vers. ad inferiorem X. d. Appellat. hinc eam opinionem multis rationibus firmat Sigism. Finckelthuf. Observ. 74. p. m. 552. proque ea facit argumentum Noviss. Edict. sub dat. Dresda d. 8. Maj. 1682. de Juramentis concepti, vers. daß erstlich in denen Sachen ic. ib. Und das Leuterungs / Appellation oder Oberleuterungs urthel rechts krafftig worden / zu lauffen anfangen soll. Secundo casu, si per signaturam leuteratio rejiciatur, Fatale de monstrationis non a tempore rejectionis, sed post lapsum decendii, a die insinuate signaturae, qua partibus rejectio intimatur, cursum instituere solet. argument. cit. Edicti vers. Wenn der Richter ic. ibi durch eine auffgezeichnete Signatur rejiciret, junge Carpz. Tit. 11. art. 3. n. 27. post decendum, ab hac rejectione, sich zu offeriren schuldig seyn. Tertio casu, si remedio suspensivo (puta non a producente, sed ab eo, contra quem demonstratur) iterum renunciatum fuerit, tunc non a tempore renunciationis aut privatae scientiae, sed a tempore insinuate notificationis labi terminus demonstrationis incipit arg. Ord. Proc. Sax. Tit. 20. §. Ein ieglich Part. ic. ibi und die renunciation in dem Fall / wenn nicht der Beweisführer / sondern der andere Theil geläutert / dem

dem producenten notificiret worden. &c. & argt. modo allegati *Edicti* vers. Wenn einer / ibi und so denn das Facale à tempore insinuationis anzurechnen seyn soll / *Carpz. P. 1. C. 12. Def. 9. Dn. Martini in Process. Sax. Tit. 18. §. wenn nun also / n. 16.*

§. 7. Hæc de tempore, sequuntur in ordine demonstrationis media, quæ includunt tam instrumenta quam testes. Instrumenta autem tam publica quam privata (de quibus videatur *Althusius in Dicaologia L. 3. c. 40. seqq.*) modo sint recognoscibilia, *Magnif. Dn. Schvend. ad Fibig. c. 2. §. 16. lit. D. p. 252. admittuntur. O. P. S. tit. 24. 25.*

§. 8. Testes in demonstratione admittuntur omnes, qui non prohibentur vel naturâ, vel Lege. *L. 1. §. 1. ff. de Test. L. 3. §. 5. ff. eod.* qui autem tales sint, suppeditat. *Prosper Farinac. de Testibus* quò me brevitatis studio remitto. Sed quot testes in demonstratione requirantur, omnino est inquirendum? Sanè, cum unicus testis, quamvis præclaro curiæ honore fulgeat, non plenè probet, *L. 9. §. 1. C. d. Testib. & in probatione ad minimum duo adesse debeant, Farinacius d. tract. quest. 69. n. 93.* ita & hoc de demonstratione dicendum erit. argt. *L. 12. ff. de Testib. L. 217. in fin. ff. d. V. S.* Exceptis passim casibus, in quibus unius testis omni exceptione majoris depositio sufficit, uti contingit (1.) Si actus judicialis & insinuatio citationis sit demonstranda, ubi solius actuarii & apparitoris Judicialis testimonio fides habetur, argt. *L. 5. ibique Brunnem. d. Exact. Tribut. Dn. Carpz. L. 3. R. 22. n. 9. seqq.* (2.) in causis modici præjudicii, *B. Dn. Philipp. ad decis. Elect. 1. Obs. 8. n. 12.* (3.) Alimentorum, *Joh. Petr. Surdus de Alim. Tit. 1. qu. 112. n. 33.* Sic quoque (4.) In damnò à pecude in pascuis illatò, soli bubulco jurato creditur, *Lond. L. 2. Art. 42. Adamus Volckmann P. 1. cap. 73. n. 15.* Idem obtinet (5.) In defensione innocentia, *Mascard. d. Probat. Concl. 90. n. 10.* (6.) In vulnere lethali, ubi unico medico sive Chirurgo creditur, si copia plurium haberi non potuerit, *Carpz. P. 1. qu. 26. n. 34. seq.* (7.) In probatione mortis obscuræ sive occultæ, puta si in acie au. contag. ò quis perierit, *Novell. 117. c. 11. auth. hodie C. d. Repud. Carpz. 1. 1. C. 16. def. 38.* (8.) In summarissimò possessoriò & judiciò retinendæ possessionis, *Decis. Elect. 1. ubi Philipp. obser. 8. n. 13. Prosper. Farinacius d. Testib. L. 2. qu. 63. n. 31, Carpz. P. 2. C. 7. D. 18.*

quod

62.

quod multo magis in interdictō recuperandæ possessionis, ob odium spoliatorum, obtinet, *Speidel. in Lex. voc. pertinenter. §. circa probationem &c. Menoch. de recup. possess. Remed. 15. n. 5. & seqq. (9.)* addimus, quando unius testis omni exceptione majoris testimonium juramento suppletorio confirmatur, *L. 31. ff. d. Jurejur. L. 3. C. d. Reb. Cred. cap. 2. X. d. probat. c. 23. Xcod. Ordinat. Process. Sax. Tit. 30. Roland. à Valle Consil. 50. n. 13.* Plures exceptiones qui desiderat, adeat *Berlichium P. 1. Concl. 36.*

§. 9. Relictis demonstrationis mediis, Modus demonstrationis nunc erit demonstrandus; qui talis est, ut demonstratio, ad præviam judicis sententiam interlocutoriam arg. *O. P. S. tit. 20. in pr. L. H. G. D. t. 16. in fin. Wesenb. ff. de prob. n. 5.* peragatur in judicio. Et quamvis non negandum alibi quoq; fieri posse examinationem, hoc tamen fit exceptivè, quando Judex ad quasdam personas egregias aut alias aliquo favore dignas, Assessores & actuarium suum, in domum mittit, argt. *l. 15. ff. d. Jurejur. ibiq; Brunnem. n. 1. seqq.* modo in secreto & remotis partibus examinentur, *L. 14. C. d. Test. cap. 52. X. eod. Sichar. add. L. 14.* Nam quod jussu Judicis peragitur, apud acta fieri intelligitur, argt. *l. 5. ff. d. Manumiss. Vind. Carpx. P. 3. C. 3. def. 16.*

§. 10. Et licet probatio sive fiat documentis, sive fiat testibus, semper articulos exigat; *Ordin. Process. Sax. tit. 20. §. Ein ieglich Part. §. tit. 24. §. Do der Kläger/* id tamen ad demonstrationem non est extendendum, quippe quæ, si Documentis perficitur, articulorum exhibitionem anxie haud efflagitat, *Carpx. in process. tit. art. 1. n. 30. ibi: licet articulorum exhibitio omittatur, &c. pag. 9.* Sed sufficit si intra terminum præfixum documenta judici offerantur, cum annexâ petitione, ut certus dies præfigatur, & ad eundem cum transmissis instrumentorum copiis adversarius citetur, argt. *Resolut. Grav. Prov. de Anno 1661. Titulo Von Justitiens Sachen / §. 2. vers. Da aber ein Kläger.* Contigit tamen aliquando, ut demonstraturus neque articulos neque documenta, sed saltem vitiosam rem, de quâ lis exorta erat, exhiberet; disceptabatur inter partes; ane hoc modò sufficienter esset demonstratum? sed quoniam exinde non satis constabat, an res exhibita, ea, de quâ controverteretur, esset? demonstratione sua producens cadebat. Unde Scab. Lips. in ea causa M. P. Klägers a. e. M. K. Besl. a. a. t. mens. Febr. 1680, ita pronunciarunt, P. P. *Das Kläger an der ihm zuerkantten*

63
erkanten Bescheinigung sich versäumet/und ist dannhero Beklagter
von dieser Klage zu entbinden. *B. R. W. In terminò autem
comparere jussus, aut copiam sui in Judiciò facit, aut Judicium con-
tumaciter fugit. Illo casu prævia demonstrantis documentorum o-
riginalium reproductione citatus instrumenta aut recognoscat, aut hoc
recusans, juratò diffiteatur, d. §. 2. resolut. gravam. quæ tamen dif-
fessio quoad instrumenta publica cessat, cum hæc, absque recognitione
plenam aliàs mereantur fidem, auth. contra quem C. de non num.
pec. Decis. El. 74. ubi Philipp. obs. 2. Carpz. L. 3. Resp. 79. n. 5. Quod
si autem ille neque recognoscere, neque diffiteri velit, tunc sub pœnâ
recogniti hocce eidem injungitur, eòque, in contumacia perseveran-
te, documenta pro recognitis pronunciantur, quæ pœna, vigore det
neuen Leipz. H. G. D. statim in primò terminò, ad quem recogno-
scendi gratia citatus fuit, id contumaciter recusanti imponitur, tit.
13. verb. die Obligation alsobald recognosciren, &c. Hoc casu,
si nim. vocatus contumaciter emanet, prævia producentis contumaciæ
accusatione, ille sub pœna recogniti iterum citatur, & si contumaciam
reiterat, instrumenta habentur pro recognitis, ipse vero contumax
in solutionem condemnatur. Resol. Grav. Provinc. de Ao. 1661. Tit.
Von Justitien Sachen/§. 2. in f. verb. Im fall er nun &c. und da er
abermahl aussenbliebe/Brieff und Siegel ohne Einholung rechtlichen
Erfântnuß pro recognitis zu halten. Quod in allegirter N. H. G.
D. iterum exasperatum, & ibidem in primo statim termino docu-
menta ob partis ad recognoscendum legitimè citatæ emanationem, pro
recognitis habentur. argt. alleg. tit. 13.*

§. II. Hæc de demonstratione documentis facta, sequitur nunc illa,
quæ testibus perficitur, circa quam demonstraturus observare
debet, ut intra terminum positum, ob evitandam incertitudinem,
articulos demonstratoriales cum nominibus testium habi-
lium ac directorio offerat, petatque ut testes ad jurandum, ille ve-
rò, contra quem demonstratur, ad videndum jurari, articulorum
transmissis copiis, citentur, argt. sep. alleg. ord. Proc. Sax. Tit. 20. §.
Ein ieglich Part &c. In terminò demonstrans sub pœnâ desertionis
compareat, suosque antea nominatos testes, & quidem obedientes
tanquam præsentis, contumaces verò absentes tanquam præsentis
denuo producat, arg. O. P. S. tit. 20. §. ebenmäffig. Nec non, horum
con-

64

contumaciâ accusata, sub pœna eosdem iterum citari roget; Ipsi verò testes postea in præsentia partium necessario jurare tenentur nam testi injurato, licet sacerdos aut Ecclesiæ minister sit, fides non habetur, L. 9. C. d. Testibus C. 5. c. 23. X. eod. Philipp. ad decis. El. 1. Obs. 1. & 2. nisi fortè agatur in possessoriò momentaneo sive summarissimo, ubi duobus fide dignis testibus, licet injuratis, creditur. d. Decis. El. 1. ubi B. Philipp. obs. 7. postea juramentò præstitò, postquam litigantes secesserint, in secretò super articulis examinantur, factâque depositione & imposito ipsis silentiò dimittuntur, L. 9. L. 11. C. & cap. 2. X. d. Test. B. Eckolt ad tit. ff. eod. §. 4. junge Magnif. Dn. Ordinar. D. Born in Disp. ad univers. Jus Judic. thees. 41. Nicolai in Process. P. 1. c. 68.

§. 12. Hic nobis obviatur quæstio, an etiam articuli demonstratoriales interrogatoria admittant? Et affirmativam defendere conabimur, quoniam in omnibus causis, ubicunque circa articulorum & testium exhibitionem æquum & necessarium videtur, interrogatoria offerri concessum, à quibus cum summaria expressè non excipiantur, meritò idem de demonstratione, quæ in summaris causis potissimum occurrit, erit asserendum, Nicolai in process. civ. cap. 51. n. 4. in tantum ut neque causæ criminales ordinariæ, Rosbach. in process. civ. cap. 51. n. 4. Zanger. de Except. P. 1. cap. 2. n. 26. neque testamentariæ excludantur, Rutger. Ruland. P. 1. L. 5. c. 1. seqq. Prout in suprema appellationum curia in causis Wolff Siegfried von Lüttichau a. e. Marien von Rosboth Testaments Erben am andern Theil Ao. 1654. pronunciatum refert Nicolai d. l. Aliud observatur in processu criminali inquisitorio Carpz. in process. crim. quæst. 114. n. 21. & Possessorio momentaneo sive summarissimo, Rauchb. p. 2. qv. 6. n. 61. seqq. Carpz. p. 2. c. 7. def. 15. 16. vid. eund. d. Inhibit. Quibus accedit, quando partes interrogatoria sponte omittunt, cum enim eorum exhibitio sit voluntatis, non necessitatis; hinc sanè in arbitrio partium positum erit, num ea offerre, num verò omittere velint, Gail. L. 1. Obs. 95. in f. Ummius in process. disp. 16. th. 10. n. 69. Ubi inter probationem solennem & demonstrationem etiamnum deprehendimus differentiam, illa enim injungit Judici, ut transmissis articulorum copiis, citet adversarium, contra quem probatur, ad exhibenda contra testes interrogatoria, Ord. process. Sax. tit. 20. §. Ein ieglich Part/2c. in fin. quod tamen in demonstratione non adeo exigitur, sed sufficit,

C

UL

ut vocentur partes ad videndum jurari testes, quo in termino ipse, contra quem demonstratur licet in citatione non sit expresse concessum, interrogatoria, quæ habet, pertinentia, contra testes articulosve exhibere valebit, docente observantia. Denique notandum offerri interrogatoria nõ prius, quam in termino, quo testes producuntur, *Rutg. Ruland. d. Commissar. P. 4. L. 1. c. 10. n. 1. 2.* quoniam eorum copiam adversario non sunt transmittendæ, ne inde ipsi occasio pareatur testes de responsione instruendi, *Gail. L. 1. Observ. 95. num. 6. Jac. Ayerius Process. Jur. Part. 1. cap. 2. Observ. 5. Nicolai alleg. loc. n. 5.*

§. 13. Demonstratione ita peractâ, ne ille contra quem demonstratur, deterioris conditionis sit, quam demonstrans, contra *argt. L. 44. ff. d. Obl. & Act. & L. 121. ff. d. R. I. Carpz. P. 2. c. 7. def. 17. n. 3. & L. 3. tit. 7. Resp. 75.* eidem conceditur contraria demonstratio, eint Gegenbescheinigung/ quâ demonstrationis ab adversario factæ fundamentum eliditur, & exceptiones peremptoriæ litis contestationi annexæ probantur, *argt. Ord. process. Sax. tit. 21. §. Da auch/ &c.* Huic verò certus terminus communiter præscriptus non est, includit tamen regulariter idem spatium; quod demonstratio, *argt. d. l. 21. in pr. Const. El. 16. P. 1.*

§. 14. Quò tempore autem currere incipiat hic terminus, non adeo constat; Certe nisi in sententia definitum legitur, quo tempore aliquis contrariam demonstrationem incipere debeat, ipsa, vi relationis, æque ac demonstratio nullo certo fatali alligata erit, *argt. eorum que habet Carpz. P. 1. C. 16. def. 16. & L. 3. Resp. 75.* Ne tamen ob id, & ex hujus beneficii abusu, protelentur lites, statuto & sententia litigantium malitia & negligentia cohiberi & contrariæ quoque demonstrationi certus terminus præponi potest, id quod factum videmus in *der neuen Leipziger Handels-Gerichts-Ordnung / Tit. 17. Von der Gegenbescheinigung/* qua cavetur, ut non expectata ad publicationem attestatorum citatione, statim à terminò productionis, & examinis intra 3. septimanas contraria demonstratio suscipiatur, & exhibitis ad minimum intra hocce spatium articulis, quibus demonstraturus uti velit, inchoetur, qua oblatione facta, idem procedendi observatur modus, quo de in demonstratione diximus, *d. tit. 17. in fin.* Ubi nobis adhuc dubium emergit, si testium unus alterve contumaciter emaneat? quo casu putarem, quod terminus contrariæ demonstrationis à tempore, quo illi contumaces testes denuò citati compareant & produ-

66

producantur, currere incipiat, *argt. d. tit. 17. ib.* So bald die Zeugen abgehört / soll der Gegentheil seine Gegenbescheinigungs- articul binnen 3. Wochen übergeben; nemo enim pro contumaci habetur prius, nisi termino & ejusdem momentis plenarie præterlapsis, *argt. L. 42. & d. V. O. L. 70. ff. d. Solut.* Quemadmodum Scabini Lipsiens. in simili causa J. S. Actoris, & reproduci ab una H. E. V. Rei & Reproducentis ab altera parte Mens. Octob. 1683. novissimè pronunciarunt: Daß Best. mit fernerer angegebenen Bescheinigung / des beschenehen vorwendens ungeacht / gestalten Sachen nach / noch zur zeit billig zugelassen wird. B. N. W.

§. 15. Demonstrationi ita absolutæ succedit ejusdem publicatio, regulariter ad producentis instantiam, à Judice, partibus ad eam citatis, peragenda, *Recess. Imp. d. A. 1654. Const. Aug. 16. P. 1. ubi non requiritur, ut partibus totus prælegatur rotulus, sed sufficit, partes se declarare, quod attestations pro publicatis agnoscant. Nicol. in Process. P. 1. C. 64. n. 16.* Et hanc publicationem denique excipit attestatorum disputatio, civili quidem judicio incognita, *Nov. 90. c. 4. §. c. 6. X. d. Fid. Instrum.* in forò tamen Saxonico tam in ordinario, *Ord. Proc. Sax. Tit. 29.* quam summario processu *Carpz. P. 1. C. 18. def. 2. §. in Process. Tit. 1. n. 8 seqq.* maximè frequentatâ, (exceptâ causâ summario executiva & spoliis, in quibus hæc disputatio exulat, *Nic. in Process. P. 1. c. 65. n. 5.*) Quæ duabus alternativis positionibus absolvitur, nec ultra illas extenditur *d. Ord. Process. Berlich. P. 1. Concl. 48. n. 1. Carpz. d. l. Def. 8.* Quo autem tempore positiones istæ sint exhibendæ? nunc videbimus; & distinguendum esse arbitramur, an terminu litigantes ipsi compromittendo sibi posuerint *nec ne.* Priori casu iterum videndum, an terminum coarctaverint, & tunc conventioni standum est, *ord. Proc. Sax. Tit. 19. §. Ob wohl sonsten verb. da sich die Partheyen / Resolut. Grav. Provinc. d. Anno 1661. §. 20. ib. Daferne sie sich nicht 2c. an vero prolongare terminum voluerint, quod non ipsorum sed solius judicis arbitrio relinquendum, argt. cap. indultum d. R. J. in 6. Mart. ad Process. Jur. Sax. Tit. 29. §. Ob wohl sonsten / n. 21. Nicol. in Process. P. 1. c. 65. n. 12.* Posteriori casu, cum ratione demonstrationis, Leges Saxonice specialiter nihil disposuerint, statuunt communiter D D. terminum 6. septim. absque 3. dierum

additamento, ad instar ordinariæ probationis à tempore impetra-
 tæ copiarum publicatarum attestationum de momento in momentum
 esse computandū *Const. El. 18. P. 1. vers. Von zeit zc. & Ord. Proc. Sax.*
d. t. Resolut. Gravam. Prov. d. An. 1661 §. 22. Carpz. d. Const. def. 6.
 Cujus intuitu iudex obstrictus est, copias statim, aut ad summum
 intra duos menses, litigantibus exhibere. *Const. El. P. 1. C. 18. verb.*
So ihuen zc. d. t. Ord. Proc. Sax. §. Weil aber / modo demonstra-
 tio facta sit per testes, non v. per documenta, eo enim casu primæ
 positionis fatum à tempore, quò sententia interlocutoria à Ju-
 dice de disputationibus lata in rem judicatam transit, erit compu-
 tandum, *Ord. Proc. Sax. Tit. 29. §. Wenn aber zc. verb. Damit auch zc.*
Ætissimus Dn. D. Born. alleg. disp. thes. 55. lit. g. in fin. Primam au-
 tem positionem ille, contra quem demonstratio fuit instituta & qui-
 dem in scriptis exhibet, *Recess. Imp. d. Anno 1654. §. 56. d. Const. El.*
18, P. 1. ibique Carpz. def. 9. ad quam deinde respondet producens,
 & sic in vicem, usque dum positiones absolutæ fuerint, continuant,
Ord. Proc. Sax. Tit. 29. §. Ob wohl sonsten. Quæ dicta concederem,
 si res ventiletur magni momenti & ardua, in causâ namque celerioris ex-
 peditionis nec multis documentis instructâ, disputationes ore tenus
 (*Von Mund aus in die Feder*) fieri debent, ita sanciente *Ord. Proc. Sax.*
alleg. loc. §. Wenn aber / Carpz. d. Const. def. 7. Et hunc modum
 tutius in demonstratione adhiberi censeo, prout etiam sæpius obser-
 vatum in Curiâ, quæ Lipsiæ est, supremâ Provinciali. Ne autem
 litigia, observatis hisce disputationum solennitatibus, nimis fortè
 protrahantur, ipsæ in sæpius allegatâ ordinatione des Leipziger
 Handels Gerichts / utpote omnes litium dilationes averfante, in to-
 tum prohibitæ sunt, ita ut demonstratio in vicem peractâ illicò ad sen-
 tentiam concludatur *Tit. 19. Nach vollführter Bescheinigung und Ge-*
genbescheinigung sollen keine disputation-Befehle zugelassen / son-
dern die Acta alsobald in rotuliret / un̄ zum rechtlichen Erkänntnis über-
geben werden. Similiter magis ex observantiâ, quam ex Lege, in con-
 cursibus Creditorum disputatio super demonstrationibus peractis
 negligitur, ut eò citius causæ illæ, aliàs odiosæ, perficiantur, & unicuiq;
 suum restituatur.

CAP. V.

DE FINE ET EFFECTU.

§. 1. Formam nunc, in quâ non erimus prolixiores, relinquen-
 tes,

68.
tes, recta via accessum paramus ad Finem atque effectum; Finis est vel primarius vel secundarius, Primarius est, ut fides iudici fiat ad formandum animi motum in ferenda sententia, L. 22. ff. d. Probat. L. 3. §. 2. L. 21. §. ult. ff. d. Testib. L. 40. ff. ad L. Aquil. Secundarius est, ut lites abbrevientur, & earum citior consequatur terminus, demonstratio enim hunc in finem præcipue est adinventata, teste Carpz. P. 1. C. 16. d. 16. n. 1.

§. 2. Effectus est, ut demonstrantes absolutis demonstrationibus vel plenè, vel semiplenè intentionem suam obtineant, Ita ut priori casu reus vel absolvatur, vel vice versa condemnetur, L. 1. ff. d. Re Jud. L. 4. C. d. Ed. L. 4. C. d. O. & A. quæ sententia executioni non prius, quam si eadem vires rei jud. obtinuerit, demandari potest Ord. Proc. Sax. tit. 39. §. Wehmlich &c. Posteriori casu demonstranti iuramentum suppletorium adjudicatur, L. 3. C. d. Furej. Carpz. L. 3. R. 81. n. 14. ad quod in Foro nostro intra octiduum, à tempore, quo sententia de illo iuramentò lata in rem iudicatam transit, computandum, sese offerre tenetur, nec anticipare sub pœna desertionis ei conceditur, Ord. Process. Sax. Tit. 18. §. Wenn nun also / & decis. El. 18. ibique Philipp.

CAP. VI.

DE CONTRARIIS ATQUE AFFINIBUS.

§. 1. Demonstratio quamvis reprobationem solennem non admittat, Carpz. P. 2. C. 7. def. 17. & L. 3. R. 75. n. 12. 13. 14. audiendus tamen erit ille, contra quem demonstratum fuit, contrariâ demonstratione, modo & hîc summarie procedatur, ne forte deterioris conditionis reus sit, quam actor, cujus tamen partes in absolute sunt favorabiliores, L. 125. ff. d. R. J. L. 41. ff. d. oblig. Carpz. d. def. n. 2. 3. nec enim adeo tumultuariè in iudiciò summarie proceditur, ut defensiones reis planè sint ademptæ, Zanger. d. Except. P. 1. C. 2. n. 9. vid. quæ supra in cap. 4 §. 13. dicta.

§. 2. Affinia sunt reliquæ probationum species, de quibus integrum tractatum scripsit, Mascard. de Probat. & Menoch. de Presumpt. quo brevitatis studio benevolum Lectorem, mecum remitto. Antequam verò hic abeam, operæ pretium puto differentias inter probationem & demonstrationem paucis annectere; apparet nimirum ex

hactenus dictis differre illas inter se (1.) ut genus & speciem, (2.) Nominine, c. 1. (3.) objecto, demonstratio enim præcipuè in summariis, probatio autem in ordinariis causis obtinet, *vid. c. 3.* (4.) Forma, Probatio enim articulorum exhibitionem ad sui essentiam indistinctè desiderat, quod tamen in demonstratione per documenta facta secus est, *cap. 4. §. 7.* In illa reus ad interrogatoria formanda citari debet, quod in demonstratione non requiritur, *cap. 4. §. 12.* Ita quoque probatio ad terminum Saxonicum præcisè est adstricta, demonstrationem etiam post terminum elapsam fieri posse, demonstravimus *d. c. 4. §. 2.* Sic etiam ante L. C. demonstrationem fieri posse, probationem non nisi lite contestata admitti explicavimus, *in d. c. §. 1.* (5.) Fine, Demonstrationis finis est, ut lites abbrevientur, à quò tamen, solennis probatio paululum recedit.

Et hæc de demonstratione dixisse sufficiat, cujus natura potius ex praxi addiscenda, quam certis regulis includenda videtur; Interim sicuti cum DEO incepimus, ita cum eò disputationem nostram finimus, Majestati ejus gratias omni tempore exsolvaturi A Benevoli autem Lectoris dexteritate tale nobis pollicemur de conatibus nostris iudicium, quale de suis ipse laboribus exoptat.



COROL.

COROLLARIA.

I.

Plures Ingratitudinis causæ in liberorum exheredatione
dantur, quam in Nov. 115. expressæ sunt.

II.

In Codicillis cœci sex testes sufficiunt.

III.

Peregrinus non potest heres à cive Romano institui.

IV.

Heres minor contra aditionem restitutus, hereditatem
ad ejus substitutum transmittit.

V.

Navis, ex alienis tabulis fabricata, fabricantis est.

VI.

Fidejussor ad majorem summam se obligans ad concurren-
rentem summam tenetur.

VII.

Feudum sine Fidelitate non subsistit.

S. D. G.



GOETTER

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.



94 A 7371

ULB Halle 3
001 700 707




SB.

94 A 7371

Vb 17






DISP

TO





4. 49. ~~1111~~
Juvante Supremo!
DISPUTATIONEM JURIDICAM
DE
DEMONSTRATIONE,

vulgò
Sonder Bescheinigung!

Indultu Superiorum

&

SUB PRÆSIDIO
D. FRIDERICI PHILIPPI, Lips.

Patroni & Præceptoris sui honoratissimi,

placido Eruditorum examini


submittit

IOHANNES Schumann / Hal. Sax.

Autor & Respondens.

Ad D. 15. Novemb. Ao. M. DC. LXXXIII.

H. L. Q. C.



LIPSIÆ,

Typis JUSTINI BRANDII.